



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia  
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,  
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

**Canisius, Heinrich**

**Coloniae Agrippinae, 1662**

Promoemivm.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](#)

HENRICI CANISI,  
NOVIOMAGI, BELGÆ,  
PRÆLECTIONES ACADEMICÆ  
IN LIBROS V. DECRETALIVM  
GREGORII P. IX.

PRO O E M I V M.



Uod Justinianum Imp. divinitus movit, ut superiorum suorum Imperatorum Constitutiones & veterum Jurisconsultorum responsa in Codicem ac Digesta certo & definito ordine redigeret, præcisis superfluis; additis, quæ desiderabantur; sublatis quoque contrariis, & quæ in speciem pugnare videbatur certo temperamento compotis, ad id usus operâ Triboniani viri amplissimi, aliorumque virorum illustrium, ut restatur duplex Constitutio Cod. sub tit. De vet. Iure enucleando: idem postea movit, non absque iustitia divino, Gregorium IX. summum Pont. qui anno Dom. CIC. CC. XXVII. ad Pontificatum electus est, ut & predecessorum suorum Constitutiones, & Decretales Epistolas variè dispersas, in hos quinque Decretalium libros certo ordine conjiceret, non minus ressecatis superfluis & contrariis, atque à se adjectis, quæ ad operis perfectionem pertinere videbantur; usus & in hanc rem alienâ operâ, videlicet Raymundi de Pennaforti, Hispaniæ ex Ordine Prædicatorum, Penitentiarij & Capellani sui, viri sacrorum Canonum & legum civilium peritissimi, quemadmodum constat ex proœmio horum librorum. Hic Raymundus (ut hoc obiter inferam) paucis ab hinc annis à Clemente VIII. ob vitæ innocentiam & miraculorum gloriam publicâ auctoritate in Sanctorum numerum relatus est: ut vel hoc etiam nomine hi libri Decretalium acceptiores nobis esse debeant, à tanto viro in unum collecti. Quare sicut beneficio Justiniani Imp. in causis civilibus certo & explorato jure utimur; tia & in rebus ecclesiasticis ac spiritualibus be-

neficio Gregorii IX. P. M. Non quod ante a nullum omnia sicut jus certum in Ecclesia Christiana (siquidem aliter constat ex can. 1.2. & 3. Dist. 20.) sed quod id jus in unum & certum corpus coactum non esset, atque idcirco ejus fides in plerisque in dubium revocaretur. Huic igitur malo his suis libris occurrit Gregorius noster,

Cæterum cum natura certis limitibus non contenta, novas semper formas edere depropteret, ut loquitur Justinianus 1.2. §. sed quia divina C. De vet. iure enucleando, & Bonifacius VIII. in Praefat. lib. 6. Decretal factum est, ut propter causas novos, post editionem horum librorum editatos, qui & definitione Pontificiæ indigebant, accesserit huic operi Gregoriano sextus Decretalium Bonifacii VIII. Item Decretales Clementis V. quas ideo Clemens vocamus: item Extravagantes tam communes quam Joannis XXII. quæ completius hoc jus nobis reddiderunt, & Corpus Canonicum constituunt. Verum quidem est & Gratiani Decretum una ubique cum hoc corpore circumferri, sed id magis usufori & scholæ, quam publicâ auctoritate, cum Gratianus homo privatus fuerit, Monachus Bononiensis, ex Ordine S. Benedicti: nisi quod postremè Gregorius XIII. S. Pont. illud recognosci curaverit, ipsiusque auctoritate in publicum prodierit, de quo latius egi in Summa Juris Canonici Not. i.

Itaque explicaturus hos libros Decretalium Gregorii IX. cum modum servabo, ut in singulos Titulos paratilia, id est summaria Titulorum præmitram: deinde ea tantum capitula mihi perstringenda sumam, quæ majoris momenti & ex re Auditorum magis fore videbuntur. Etenim singula persequi infiniti operis es-

A

seri

H. CANISI COMMENT. AD LIB. I. DECRETAL.

*set; unde delectu opus: nec omittam si quæ in libris sexti Decretalium, Clementinis, Extravagantibus & Decreto Gratiani necessaria extant, huc revocare. Imò & quæ in Concilio Tridentino adeoque in libris Juris ad rem per-*

tinentia traduntur, huc quoque, quantum necessitas postulabit, transferam, ut ita plenior sit præsens tractatus: dum tamen vestra, Auditores, benevolentia attentionem & audiendi diuturnitatem mihi docenti accommodet.

IN TIT. I. LIBRI PRIMI

*. De summa Trinitate & Fide Catholica.*

S U M M A R I A.

1. *Ratio ordinis.*
2. *Quid circa SS. Trinitatem sit credendum.*
3. *Error Joachimi Abbatis & Almarici Carnotensis.*
4. *Quid quilibet credore teneatur.*

**A**uspiciatur hoc opus suum Gregorius IX. primò omnium collocat Tit. *De summa Trinitate & Fide Catholica*, tamquam basim reliquorum Titulorum subsequentium, imò omnium actionum nostrorum. Etenim in Deo (inquit D. Paulus) vivimus, movemur & sumus, *Act. 17, circa fin.* De fide Catholica his verbis differit D. Augustin. *Serm. 38, de tempore.* Nullæ, inquiens, sunt majores divitiae, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major scientia, quam est fides Catholica, quæ peccatores omnes salvat, cæcos illuminat, fideles justificat &c.

**2.** Quare meritò hic Tit p̄mittitur; qui duobus constat capitulis, defunctis ex Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III. ut haberet inscriptio: quorum priore Concilium edit formam fidei sua, videlicet ut cum eo credamus Deum esse trinum & unum; trinum in personis, nempe Patre, Filio & Spiritu Sancto, & unum quoad essentiam divinam, quæ una & simplex est in iisdem personis, coetera, coequalis & omnipotens, unum universorum principium: Christum ex Maria semper virginem humanam carnem induisse, operante Spiritu Sancto, eumdemque passum & mortuum secundum humanitatem: deinde descendisse ad inferos quoad animam, resurrexisse verò quoad corpus, & cum utroque ascendisse celos. Inde in fine seculi venturum judicem vivorum & mortuorum, redditumq; singulis secundum opera sua. Ecclesiam quoque fidelium unam & universalem esse, in qua idem ipse Christus Sacerdos est & sacrificium, cuius in Sacramento altaris corpus & sanguis verè continetur, post

consecrationem à Sacerdote ritè ordinato factam, qui vice Christi id efficit.

Meminit & hoc cap. Sacramenti baptismi, quod prodeste ajunt ad salutem tam parvulus quam adultis, in forma ramea Ecclesiæ à quocumque collatum; & si post suscepimus baptismata quis in peccatum prolabatur, superesse penitentiam, quæ peccatum eluat. Denique beatitudinem pollicetur non solum virginibus & continentibus, sed & conjugatis, si rectè crediderint, & probè vixerint. Et hæc cap. prioris est summa.

Posteriori cap. rejicitur sententia Joachimi Abbatis monasterii Florensis, quam ille falsò collegat ex Petro Lombardo Magistro Sententiatum, quod scilicet in Patre, Filio, & Spiritu Sancto non solum trinitas esset, sed & quaternitas: trinitas, ratione trium personarum, & quaternitas ratione divinitatis, quæ tribus personis communis est. Improbatur quoque doctrina Almarici Carnotensis, quam textus non tam hereticam quam inanam vocat. Quænam autem ea fuerit, idem textus non aperit, sed cui libet videat Directorium Inquisitionis p. q. 7. & Hostiensem hic in fine.

Movet hoc loco quæstionem Innocentius IV. an prædictos articulos fidei, priori capitulo recensitos, quilibet credere tenetur? Et putat in simplicioribus, & forte, ut addit, etiam in omnibus laicis adultis sufficere, si credant Deum esse, eumdemque remuneratorem omnium bonorum, juxta illud ad Hebr. 11. Accedenter ad Deum oportet credere, quia est, & quod in inquirentibus se sit remunerator: cæterum satis esse, si simpliciter credat, subjiciendo scilicet se fidei Ecclesiæ. In Clericis, qui Ecclesiæ præfunt, requiri vult, ut articulos singulos fidei explicitè & distinctè teneant, *can. 1. 2. &c. 3. Dist. 38.* Verum hæc latius non persequor: sed videri possunt D. Thomas 2. 2. quæst. 2. art. 5. cum

*f. 77g.*